

B. N. II 314.

X 1877959

Q. D. B. V.

A. bi, 12



DISPUTATIO FEUDALIS
DE
JURE VASALLI
REALI,

Quam

Magnifici Jctorum Ordinis,

in Illustri Philureâ, indultu

PRÆSIDENTE

*Virò Nobilissimo, Excellentissimo, Amplissimo
atque Consultissimo*

DN. BARTHOLOMÆO LEON-
HARDO SCHWENDENDÖRFFERO,
Juris Utriusque Doctore & Professore Publico lon-
gè celeberrimo,

*Patrono & Præceptore de se meritisimo aternâq̄
observantiâ colendisimo,*

publicæ eruditorum ventilationi exponit



Hans von Käyn | Eqves Misnicus,
A U T O R,

d. 3. Septembr. A. O. R. 1668.

In Auditorio Jctorum Petrino.



L I P S I Æ,
L I T E R I S C H R I S T I A N I M I C H A E L I S.

2i.

2



REVERENDISSIMO, SERENISSIMO
ET CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DN. MAURITIO

DUCI SAXONIAE, JULIAE,
CLIVIAE AC MONTIUM, POSTULATO
ADMINISTRATORI EPISCOPATUS
NUMBURGENSIS, LANDGRAVIO THURINGIAE,
MARGGRAVIO MISNIAE NEC NON SUPERIORIS ET
INFERIORIS LUSATIAE, PRINCIPALI DIGNITATE CO-
MITI HENNEBERGAE, COMITI MARCAE ET RA-
VENSBURGI, DYNASTAE IN RAVENSTEIN, ET
PRAEFECTO BALLIVIAE THURINGIACAE,

&c: &c:

DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO,

Felicitatem perpetuam!

0
O
S
E,
T
D-
A-
O
S
E,
T
D-
A-
O
S
E,
T
D-
A-

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

INter alia, de quibus sanioris Philosophiæ fax & tu-
ba, Plato, se & patriam felicem prædicabat, præcipu-
um fuisse erudito orbi placet, quod natus sit illis tempo-
ribus, ubi literarum studia vel maxime flourerent, &
præprimis in Græciâ, eruditionis ac sapientiæ verò em-
poriò; cujus verba jam me a faciens jure meritò Pa-
triæ mihiq; gratulari debeo de illo tempore, in quo TU,
CELSISSIME PRINCEPS, ex voto subditorum Sa-
xonica & sceptrâ feliciter tenes, atq; inter egregiam
gubernandi prudentiam & in abdita quævis mentis
porrectam aciem, ingenuas artes, Laudatissimorum
Majorum more, laudabiliter foves atq; tueris. Religio
mihi est, ulterius, CELSISSIME PRINCEPS, elogia
TUA, æternitati jamdû propitia, rimari, cum non sim
nescius, illius Imperatorum Arcadii & Honorii inter-
dicti,

A 2

dicti, ne privatus Principum titulis laudibusq; facile
utatur, Alexander quoque Magnus, mundi domitor,
sculpi noluit, nisi à Lysippo, nec pingi, nisi ab Apelle. Hoc
tamen non possum non dicere, pietatis atq; devotionis
legem jubere, ut **CELSISSIMUM** Musarum **PATRO-**
NUM, humillimâ reverentiâ reciprocè persequamur,
veneremur; Quam ego, impræsentiarum aliter præsta-
re non posse, ratus sum, nisi hunc ingenii fœtum **CEL-**
SISSIMO TUO NOMINI sacrum facerem. Fateor
quidem, hoc temerariò fieri ausu, cum nihil, nisi ex-
asciatum atque famæ celebritate enitens, Principibus
offerendum sit, Heroicum tamen **TUUM** animum,
flagrantem devotionis ardorem, despecturum non esse,
spes certa arridet. Accipe igitur, **CELSISSIME**
PRINCEPS, hoc quæle quæle, singularis mei meo-
rumq; studiorum subjectionis, monumentum, gratioso
vultu, & quod reliquum est, concede, ut verbis Augu-
steis non solum Scipionis Fortitudinem & Cesaris for-
tunam, verùm etiam Pompeji benevolentiam optet

TUÆ SERENISSIMÆ CELSITUDINI

*Dab. Lipsia d. 3. Sept.
Anno 1668.*

devotissimus

Fidelis

Hans von Kähn.

UT ut haud difficulter consentiam, ob diversum, qui inter feudi Dominum & Vasallum intercedit, respectum, diversum quoque feudi constituti esse consequens & effectum. *Dn. Tab. in Doctr. feudal. Jehnograph. n. 46.* necessariò nihilominus concedo, eundem suo modo esse æqualem ac persimilem *Carpz. Diss. feud. 7. thes. 1.* Jus quoddam acquiritur Domino feudi: Acquiratur etiam Jus Vasallo. *Bocer. Class 5. Dissut. 19. thes. 1.* Pertinet ad Dominum Jus & reale & personale. 2. *feud. 3. 7. 8. & 23.* Competit etiam tale Jus Vasallo. 2. *f. 2. pr. 2. f. 6 in fin. 2 f. 8. pr. & §. 2. 2. f. 23. in fin. Hattys. in Analys. Juris Feud. c. 10.* Datur Domino actio tum realis tum personalis. 1. *f. 21. 2. f. 8.* Datur itidem Vasallo nec minus actio in rem quàm in personam. 2. *f. 8. pr. 2. f. 43.* *Dn. Struv. in Syntagm. Juris Feudal. Exercit. 16. thes. 1. 2. 3.* Amittit Jus Feudale Dominus. 2. *F. 26. §. 5. vers. Domino. 2. f. 42.* Amittit nec minus Vasallus. 1. *F. 17 21. 2. F. 24. 47. Svev. Exercit. Feudal. 11. assert. 1.* Plures prætereà convenientias adducere non esset difficilè, nisi constitutum fuisset, hâc vice tantùm in *Jus Vasalli* inquirere, non omne, sed *Reale* solùm, adeoquè hinc remotum volo *Jus personale*, sive competat Vasallo ex feudo acquisito, sive ex feudo acquirendo: Reale ergo Jus sequentem in modum describere placet:

THESES. I.

Jus Vasalli Reale est Jus Reale, quod Rei Feudali inhærens Vasallo competit, actionemq; realem producit.

EXΘ. I.

Definitum hujus definitionis, quamvis voce sit complexum, significatione tamen est incomplexum, & unum tantùm ac simplicem denotat conceptum, hinc à definiendi regulis non poterit excludi: Descriptio autem se dividit in *Genus & Differentiam*.

EXΘ. II. *Genus est Jus Reale*; de juris vocabulo ejusque multiplici significatu verbosè agendi locus hic non est, deprehenditur

ille in *l. penult. & ult. ff. de J. & J.* Tantum monuisse sufficiat Jus h.
l. accipi quidem *Moraliter*, non verò *Habitualiter* pro Juris scientia,
ut *l. 1. pr. ff. de J. & J.* sed *Actualiter*, & tamen non *Formaliter* pro
jusu & sanctione seu lege *l. 9. l. penult. ff. d. t.* sed *Materialiter* pro
facultate ad aliquid justè habendum *pr. §. 2. Inst. de J. & J. l. 10. ff.*
eod. pr. Inst. de reb. corporal. & incorporal. Idq; distinguitur in Jus
Perfectum & Imperfectum. Pufendorff. *Elem. Jurisprud. univers. l. 2.*
def. 8. n. 2. vel quod idem est, in Jus ad rem seu *Personale*, & in Jus in
re seu *Reale* *l. 30. ff. de Noxal. action. l. 2. pr. ff. de pollicitat. c. 17. de*
Præb. in 6. Laym. compend. Theol. moral. l. 3. f. 5. tr. 1. c. 5. n. 1. Hahn.
in dissert. de Jure rer. conclus. 9.

Exθ. III. Differentia sumitur partim à *Subjeto*, partim à *Forma*,
partim à *Fine*, partim ab *Effectu*.

Exθ. IV. *Subjctum* est res feudalis *2. f. 3. 2. f. 8. 2. f. 23. 2. f. 35.*
Quâ in parte convenit Jus Vasalli cum Domini Jure, quod in eo-
dem subjcto concurrat *2. f. 8. §. 1. 2. f. 23. in fin.* Disconvenit au-
tem ab Emphyteutæ & superficiarii jure reali, non modo in eo,
quòd utrumque pertineat ad res allodiales, verum etiam constitua-
tur saltem in rebus immobilibus. *l. 74. ff. de R. V. l. 12. §. 2. ff. de*
Public. in rem. act. l. 1. ff. si ager. vectig. l. 10. ff. famil. erciscund.
l. 16. §. fin. ff. de pignor. act. l. 32. ff. de jure dot. l. 9. §. 4. l. 15. §. 26.
27. ff. de damn. infect. l. 23. pr. ff. de Usucap. l. 1. §. 1. 4. 5. l. 2. ff. de
superfic. l. 1. 2. C. de jure Emphyt. l. 1. 4. 12. C. de fund. patrimon. §.
3. Inst. de locat. conduct. Franz. in tract. de Laudem. c. 9. n. 28. &
seqq. c. 13. n. 2. & seq. Res autem feudalis est & mobilis & immobi-
lis *2. f. 1. in fin. 2. f. 23. 25. 58. Wesenb. in tract. feud. c. 7. n. 2. & 8.*

Exθ. V. *Forma* est inhæsiō & afficiētia rei feudalis intrinseca *2.*
f. 8. pr. & §. 2. 2. f. 23. in fin. junct. pr. Inst. de Usufruct. In quo
suo modo Jus Vasalli concordat & cum Jure Domini *2. f. 8. 2. f. 23.*
in fin. & cum jure Emphyteutæ & superficiarii *l. 74. ff. de R. V. l. 19.*
pr. ff. de Damn. infect. §. 3. Inst. de Locat. & conduct. Discordat ta-
men potissimum à Jure Vasalli personali, quod non ipsam rem feu-
dalem afficit, sed Domini personam obligat. *2. f. 6. in fin. 2. f. 7. §.*
1. 2. f. 8. pr. 2. f. 25. 2. f. 26. §. 5. 2. f. 33. §. 1. junct. l. 3. pr. ff. de Ob-
lig. & Act. Godofred. Anton. Disput. Feudal. 15. th. 10. Hattys. Analys.
Juris feud. c. 10. §. circa personam.

Exθ.

Exθ. VI. *Finis cui*, seu subjectum recipiens, & in cuius gratiam jus feudi vergit, est Vasallus. 2. f. 8. 2. f. 23. Quo conjungitur cum Jure personali: Disjungitur autem à Jure Domini tam Reali quam Personali 2. f. 8. §. fin. 2. f. 23.

Exθ. VII. *Effectus* est actio Realis. 2. f. 8. pr. 2. f. 43. & 46. In quo discriminatur à jure personali, quod non realem, sed actionem in personam vel ante vel post feudum constitutum producit. 1. f. 4. 2. f. 8. pr. 2. f. 80. *Tilen. in parat. Instit. feudal. l. 6. tit. 1. n. 3.* Cumq; ex his dictis satis elucidata videatur definitio, pergo ad divisionem.

THES. II.

Jus Vasalli Reale est vel Dominium vel Possessio.

Exθ. I.

NON ignoro quidem, Jus Reale seu jus in Re in quinque aliàs dispesci species: In *Dominium* nimirum, in *Jus Hereditarium*, in *Servitutem*, in *Pignus*, & in *Possessionem*: Quam etiam divisionem, tanquam juris dispositione & ratione fundatam, meritò agnosco cum *B. Hahn. in Dissert. de jure Rer. conclus. 16. & seqq.* Jus tamen Vasalli tam latè non patet, ut omnia juris realis quinque genera sub se contineat, sed ad duo tantum, ad *Dominium* & *Possessionem*, poterit applicari.

Exθ. II. Competere Vasallo Dominium partim à priori partim à posteriori potest demonstrari. A priori quidem tam ex 2. f. 8. pr. *vers. Rei autem.* 2. f. 23. 2. f. 43. 2. f. 55. §. fin. quam ex eo, quòd Vasallus habeat potestatem in ipsius rei feudalis substantiam *d. l. in quo consistit formalis Domini ratio l. 1. §. 1. ff. de Sc. Silan. l. 13. §. 1. ff. de damn. infect.* A posteriori Vasalli Dominium probatur, tum ex eò, quòd jus istud neque sit hereditas, neque servitus, neque pignus, neque possessio; tum ab effectu: Vasallo etenim conceditur & rei feudalis vindicatio. 2. f. 8. pr. 2. f. 43. quæ est actio ex Dominio. §. 1. 4. *Instit. de A&F. l. 25. ff. de Obl & A&F. Franz. in tract. de Laudem. c. 14. num. 17.* & actio Confessoria 2. f. 8. pr. quæ præsupponit Dominium *l. 2. §. 1. ff. si servit. vindic. Dn. Struv. in Syntagm. Jurisprud. Exercit. 13. tb. 41.*

Exθ. III. Do-

Exθ. III. Dominium autem Vasallo competens non est plenum, sed minus plenum dependens à Dominio, quod penes Dominum feudi manet. 2. f. 8. in fin. 2. f. 23. 2. f. 55. § fin. Et sicuti hoc vocatur *Directum & proprietas d. l.* ita illud appellatur *Dominium utile & Ususfructus*. 2. f. 23. in fin. quæ appellatio fecit, quod à quibusdam feudum per usumfructum describatur. *Vult. lib. 1. feud. c. 2. n. 2. Niell. Disputat. feudal. 1. thes. 6. Schultz. in Synops. Jurisfeudal. c. 2. n. 12. Giphon. Diss. feudal. 1. thes. 3.* Ut ut autem quædam inter feudum & usumfructum sit similitudo atque convenientia. *Wesensb. tract. de feud. c. 1. n. 4.* major tamen deprehenditur dissimilitudo & disconvenientia. *Rittershus. de feud. p. 1. c. 2. q. 4.* quæ provenit à diversitate tum causæ efficientis, tam remotæ, quam proximæ, tum materiæ & objecti, tum formæ, tum finis, tum effectus, tum adjunctorum. Quæ omnia latè & accuratè pro more explicantur à *Dn. Struv. in syntagm. Juris Feudal. Exercit. 2. thes. 3.* Hinc fit, ut nec indefinite procedat argumentatio ab Usufructu ad Feudum. *Fink. Diss. feud. 1. thes. 14.* Et quamvis Jus ad Vasallum quod pertinet, dicatur Ususfructus. 2. f. 23. in fin. id tamen non accipiendum de *usufructu civili simplici* ac servitute quadam personali, sed de *feudali & plenissimo*, qui in effectu convenit cum utili Dominio. *Godofred. Anton. Disput. feudal. 1. thes. 2. lit. C. Carpz. Disput. Feudal. 1. thes. 31.*

Exθ. IV. Sicuti autem Dominium rerum allodialium est vel Verum vel Fictum §. 4. *Instit. de Act. Bachov. in tr. de Act. D. 3 thes. 7. 12. Hahn in dissert. de jure rer. conclus. 44.* ita Dominium utile Vasallo competens est vel *Verum* vel *Fictum*; Verum potest dici, quod reverà acquisitum 2. f. 8. Fictum autem est, quod ex æquitate mediante bonâ fide fingitur. *l. 48. pr. ff. de acquir. Rer. Domin. l. 136. ff. de R. 7.* Quod iterum duplex statui potest: Aliud quando res propria tanquam feudalis bonâ fide sine investitura possidetur. 2. f. 26. §. 4. 2. f. 33 *Dn. Struv. in syntagm. Juris Feudalis Exerc. 8. thes. 12.* Aliud quando de re aliena facta fuit investitura. 2. f. 8. pr. 2. f. 87. & 96. junct. §. 4. *Instit. de Act. Suv. Exercit. feudal. 12. assert. 2.*

Exθ. V. Poterit prætereà Dominium utile dividi in *Regulare & Irregulare*. Regulare & commune est, quod communem & propriam feu-

am feudi naturam habet 2. f. 8. Irregulare ac Singulare dicitur, quod liberam rei feudalis dispositionem obtinet. 2. f. 2. in fin. 2. f. 48. Bocer. Class. 5. Disput. 13. thes. 24. Berlich. p. 2. Conclus. 55. num. 18. & seqq.

Exθ. VI. Ulterius quoque notanda est distinctio Domini Utilis in *Superius & Inferius*: Illud dicitur, quod est penes primum Vasallum; Inferius est, quod est apud Subvasallum. 2. f. 8. junct. 2. f. 55. §. fin. Joh. Fab. ad §. 3. Inst. de Locat. n. 4. 5. Franz. tr. de Laudem. c. 14. n. 34. & seqq.

Exθ. VII. Altera species Juris Realis est *Possessio*, seu Jus ac facultas tenendi rem feudalem. 1. f. 2. 2. f. 2. 2. f. 7. in fin. 2. f. 8. in fin. 2. feud. 22. 2. f. 26. §. 5. vers. si facta. 2. f. 88. Quæ sicuti est vera: ita, licet dissentiat Godofred. Anton. Disput. Feudal. 9. thes. 1. lit. a. Hahn. in dissert. de jure rer. Conclus. 63. n. 15. nec non Dn. Strauch. in Dissert. ad Pandect. 6. aphorism. 14. non est naturalis, sed civilis. Finckelth. Disput. Feudal. 8. thes. 18. Carpz. Disput. Feudal. 7. thes. 4. Possidet enim Vasallus rem feudalem non simpliciter, sed animo sibi habendi, jure & affectione Domini (in quo consistit formalis possessionis civilis ratio l. 13. §. 1. ff. de public. in rem act. l. 22. ff. de Noxal. Action.) sibi competentis 2. f. 8. pr. & §. fin. Sæv. Exercit. feudal. 9. assert 2. His accedit, quod Vasalli possessio præstet immunitatem à satisfactione Zanger. de Except. p. 2. c. 21. n. 27. Carpz. P. 1. c. 5. definit. 20. Cui non est sufficiens Naturalis Possessio. l. 15. §. 1. 2. ff. qui satisfacere cogant. Nec quemquam movere debet, quod Vasallus non possit usucapere: Quemadmodum enim hæc assertio non simpliciter procedit ob. 2. f. 26. §. 4. 2. f. 33. in fin. 2. f. 87. Fach. l. 7. controvers. c. 61. ita usucapio prohibetur non ob defectum possessionis civilis, sed ob defectum bonæ fidei. 2. f. 87.

Exθ. VIII. Cæterum quemadmodum possessio rei allodialis est vel Vera vel Quasi Possessio. pr. Instit. de Interdict. l. 10. ff. si servitus vindicet. l. 2. §. 3. ff. de precar. Sic & possessio feudalis in *Veram & Quasi Possessionem* distingui poterit, ita ut Vera Possessio pertineat ad res corporales: Quasi possessio ad res incorporales seu jura in feudum concessa. Dn. Struv. in Syntagm. Juris Feud. Exercit. 12. thes. 2.

B

THES.

THES. III.

Causa Efficiens Juris Vasalli Realis est vel Remota vel Propinqua.

Exθ. I.

CAUSA Remota est Juris feudalis dispositio, tam scripta, quam non scripta 2. f. 8. 2. f. 9. 2. f. 34. 2. f. 38. 2. f. 55. tam Civilis, quam Canonica. c. 2. x. de feud.

Exθ. II. Causa Propinqua est vel *Principalis*, vel *Instrumentalis*.

Exθ. III. Causa Principalis est vel *Ordinaria* vel *Extraordinaria*.

Exθ. IV. *Ordinaria* est Traditio feudalis, seu vera ac propria investitura, qua feudum perfectè constituitur & acquiritur. 1. f. 2. 1. f. 25. 2. f. 1. in fin. 2. f. 2. pr. 2 f 3. pr. 2. f. 8. pr. 2. f. 11. pr. 2. f. 33. pr. Quo ipso removetur investitura, uti vocatur abusiva, qua feudum non acquiritur, sed promittitur, unde non tribuit Jus feudale reale, sed tantum Personale. 2. f. 2. pr. 2. f. 7. §. 1. 2. f. 26. §. 5. vers. si facta. Quo etiam spectat Investitura Provisionalis seu Expectativæ concessio. 1. f. 3. 9. 27. 2. f. 26. §. 2. 2. f. 35. Carpz. Part. 2. Constit. 45. def. 1. n. 5. Dn. Tabor. in Doctr. feud. Jchnogr. num. 34. Hinc non obstante hac investiturâ feudum tam ab ultimo Vasallo poterit alienari, quam à Domino alteri tradi, ita ut promissario contra tertium possessorem nec actio Realis nec Personalis competat. Godofred. Anton. Disput. feud. 4. thes. 5. lit. B. Hahn. in Dissertat. de jure rer. Conclus. 11 n. 11. sed datur actio ad interesse contra Dominum. Schurff. Cent. 2. Consil. 33. Hartm. Pistor. Quest. feud. 28. n. 12. Aliter autem comparatum est cum Investiturâ simultaneâ: Licet enim non tribuat possessionem realem. Berlich. p. 2. Conclus. 53. n. 26. tribuit tamen jus & purum & reale Ordinari. Torgav. de anno 1583. Tit. welcher Gestalt. vers. iedoch ist solches re. actale, ut simultaneè investitis detur quoque actio revocatoria. Carpzov. Part. 2. Constit. 48. 49. & lib. 6. Respons. 77. Spec. Exercit. feud. 8. assert. 5.

Exθ. V. *Extraordinaria Causa* est Præscriptio. 2. f. 26. §. 4. quæ

voca-

vocatur investitura præsumpta. *Schultz. in Synops. Juris feudal. c. 9. n. 84. Dn. Struv. in Syntagm. Juris feudal. Exercit. 8. thes. 12. Nihil autem interest, an sit præscriptio rei propriæ, an alienæ. 2. f. 87. an sit rei allodialis, an feudalis, an sit præscriptio Domini an Vasalli. Johan. Tilen. in parat. Instit. feud. l. 2. n. 3. Godofred. Anton. Disput. feudal. 5. thes. 3. 4. Dn. Tabor. in Doctr. feud. Jchnogr. n. 19.*

Exθ. VI. Causa Instrumentalis seu modus, est promissio feudalis, quæ fit vel actu inter vivos, vel ultimâ voluntate. Bocer. Class. 5. Disput. 16. thes. 2. Ad illam spectat donatio. 2. f. 23. 2. f. 58. §. 1. venditio. 1. f. 2. 1. f. 15. 24. Permutatio. 1. f. 4. §. 2. Ad hanc pertinet donatio mortis causa, legatum & fideicommissum. Hattys. in Analys. Juris feudal. c. 7. Dn. Struv. in Syntagm. Juris feud. Exercit. 7. thes. 3.

THES. IV.

Subiectum Juris Vasalli Realis est vel In- hæſionis vel Receptionis.

Exθ. I.

Subiectum Inhæſionis est res, in quâ feudum constituitur. 2. f. 1. in fin. 2. f. 3. §. 2. 2. f. 8. 2. f. 23. 2. f. 26. §. 4. 2. f. 58. Estque vel *Commune vel Proprium.*

*Exθ. II. Subiectum Commune est res Mobilis & Immobilis 2. f. 1. 2. f. 23. Res Corporalis & Incorporalis. 2. f. 1. 2. f. 58. Res di-
visa & indivisa 2. f. 58. §. 2. junct. l. 3. C. de comun. rer. alienat. l. 12. C. de donat. Res secularis & ecclesiastica 1. f. 1. §. 6. 2. f. 35. c. 7. x. de Constit. c. 6. x. de foro compet. c. 11. x. de reb. Eccles. alien. c. 1. de Reb. Eccles. non alienand. in extrav. communib. Res propria & aliena. 2. f. 3. 2. f. 8. pr. 2. f. 25. 2. f. 26. §. 4. 2. f. 58. 2. f. 80. 87. De quibus omnibus latius agit Wesenb. in tractat. feudal. c. 7. Schultz. in Synops. Juris feudal. c. 6.*

Exθ. III. Subiectum Proprium & Formale est res beneficiaria 2. f. 8. beneficiata. 2. f. 23. seu investita, sicuti autem nihil interest, an vera præcesserit investitura. 2. f. 3. pr. 2. f. 8. 2. f. 35. an præsumpta 2. f. 26. §. 4. Dn. Tabor. Doctr. feud. Jchnogr. n. 19. Ita nihil refert, an

res feudalis primùm sit constituta, an verò per successionem devoluta. 1. f. 8. & 14. 2. f. 1. 2. f. 3. pr. 2. f. 33. 2. f. 50.

Exò. IV. *Subiectum Receptionis seu Recipiens* est persona rem feudalem accipiens & acquirens. 1. f. 4. §. 5. 2. f. 1. 2. f. 3. 2. f. 23. in fin. c. 2. x. de feudis, & uno verbo dicitur *Vasallus*. 1. f. 5. 1. f. 21. 26. 2. f. 8. 14. 15. 16. de cuius derivatione vid. *Cujac. lib. 1. f. 1. Heig. p. 1. q. 2. n. 76.* qui habito respectu ad primam feudi originem vocatur *miles*. 2. f. 21. 22. intuitu rei feudalis *Infeudatus*. 2. f. 55. pr. & *feudatarius* c. 12. x. de pœnis. *Clem. 2. de sentent. & re judic.* Ratione finis *fidelis & Clientulus* 1. f. 1. §. 1. 2. 1. f. 4. pr. 1. f. 5. pr. 1. f. 10. 1. f. 13. 2. f. 19. *Schulz. in Synops. Juris feudal. c. 2. n. 7.*

Exò. V. *Capax Juris feudalis* est non modo persona Naturalis, sed & *Moralis & Universitas*. 2. f. 40. in fin. cap. unic. vers. *verum de statu regular. in 6. Sæv. Exerc. feudal. 3. assert. 9. n. 8.* Nec differentia facienda est vel circa sexum, vel circa statum, vel circa ætatem, vel circa ordinem, vel circa aliam qualitatem. 2. f. 3. §. 2. Adeoque feudò, ut requiritur, constitutò, jus feudale pertinet tam ad sceminam quàm ad Masculum. 1. f. 8. §. 2. 1. f. 24. 2. f. 3. 17. 23. in fin. 2. f. 26. §. 4. vers. *mulier*. 2. f. 30. & 50. tam ad filium quàm ad Patremfamilias 2. f. 3. & 50. Feudì autem filii ususfructus ad Patrem non pertinet, sed id tanquam peculium castrense soli filio relinquitur 2. f. 19. 22. 2. f. 23. in fin. *Schurff. Cent. 3. Consil. 10. n. 43. Finkelth. Disput. feudal. 5. thes. 20.* tam ad Minorem, quàm Majorem 2. f. 26. §. 4. vers. *si minori* & §. 5. 2. f. 55. §. 1. vers. *si praterea*, tam ad Laicum, quàm Clericum. 2. f. 40. c. 6. x. de foro compet. c. unde de statu regular. in 6. *Berlich. p. 3. conclus. 39. n. 19. & seqq.* tam ad ignobilem quàm nobilem. 2. f. 3. 10. 34. §. 1. *Godofred. Anton. Disput. feudal. 2. thes. 6. lit. B.*

Exò. VI. A subiecto autem recipiente excludo tùm servum, tùm Monachum: licet namque uterque feudum possit accipere. 2. f. 3. §. 2. hic tamen acquirit Monasterio *Authent. Ingressi. C. de SS. Ecclesiis. Carpz. Disput. feudal. 3. thes. 36.* Ille suo Domino §. 1. *Inst. de his, qui sui vel alien. jur. l. 79. ff. de Acquir. heredit. junct. 2. f. 1. Cujac. 2. f. tit. 4. Hattys. Analys. Juris feudal. c. 6. lit. C.* si tamen servus à suo Domino fuerit infeudatus, ad subiectum Juris feudalis omninò pertinet, censetur enim eo ipso libertatem consecutus arg. §. 2. *Inst.*

2. Inst. Quib. ex quib. caus. manumitt. l. 6. C. qui militax. poss. vel non. Schultz. in Synops. Juris feudal. c. 5. n. 8. Sæv. Exercitat. feudal. 3. Assert. 10. n. 1.

THESES. V.

Forma Juris Vasalli Realis est vel Constitutiva vel Consecutiva.

Exθ. I.

Forma Constitutiva, quæ essentiam constituit, est rei feudalis e-
jusque substantiæ immediata ac intrinseca afficientia, non qui-
dem absoluta & independens, sed relata, & quæ à Dominio di-
recto atque superiori jure quodammodo dependet 2. f. 8. in fin. 2.
f. 23. in fin. 2. f. 55. §. fin. Dn. Struv. in Syntagm. Juris feudal. Exer-
cit. 2. thes. 3. & in Syntagm. Jurispr. Exercit. 11. thes. 55. Quæ de-
pendentia & afficientia neque per additionem neque per detractio-
nem immutari potest. arg. l. 9. §. 3. ff. ad exhibend. l. 80. §. fin. ff. de
contrahend. emt. Sæv. Exercit. feudal. 8. Assert. 1. & Exerc. 9.
Assert. 1.

Exθ. II. Forma Consecutiva, quæ formam Constitutivam Juris
feudalis necessariò sequitur, consistit tum in plenissimâ utilitatis ob-
rem feudalem obvenientis perceptione, tum in rei feudalis dispo-
sitione. 2. f. 8 2 f. 23. 2. f. 28. 2. f. 55. §. 2. junct. l. 48. pr. ff. de Ac-
quir. rer. Domin. l. 2. ff. si à parente quis manumiss. l. 21. C. mandat.
Schultz. in Synops. Juris feudal. c. 10. n. 46.

Exθ. III. Perceptio utilitatis est vel *Fructuum*, vel *Accessionum*.
Hinc respectu illius Vasallo acquiruntur fructus omnes tam civi-
les quàm naturales, tam naturales in specie quàm industriales. 2.
f. 23. in fin. junct. l. 7. pr. §. 1. 2. l. 9. pr. l. 59. §. 1. ff. de Usufr. 2. f.
28. in fin. 2. f. 45. 2. f. 55. §. 2. Bocer. Class. 2. Disput. 19. thes. 43. &
quidem pleno jure; sunt enim fructus res allodiales, & feudali qua-
litate non afficiuntur. 2. f. 45. Berlich. p. 2. Conclus. 31. n. 33. hinc
non tantum possunt pro lubitu alienari. Sæv. disput. feudal. 9 as-
sert. 2. 4. sed etiam ad heredes allodiales transmittuntur. 2. f. 28.
in fin. 2. f. 86. Carpz. de Onerib. Vasall. feudal. decad. 3. posit. 1. n. 40.

B 3

Exθ.

Ex^o. IV. Nec minus ad Vasallum pertinet accessio, sive sit Fortuita, sive Naturalis sive Industrialis. 2. f. 4. §. 5. 6. 2. f. 8. §. 1. 2. f. 28. Unde Vasalli fit thesaurus in fundo feudali inventus, & quidem non pro parte dimidiâ, uti statuit *Carpz. Disput. feudal. 7. thes. 7.* & *Ludvvel. Disput. ad Institut. 4. thes. 5. lit. f.* sed in totum 2. f. 8. pr. junct. §. 40. *Instit. de rer. divis. l. 31. §. 1. ff. de Acquir. rer. Domin. l. unic. C. de Thesaur. Wesenbec. tract. feudal. c. 12. n. 6. Cbristin. volum. 5. Decis. 21. n. 19.* spectat quoque ad Vasallum incrementum, quod per alluvionem, coalitionem, Insulæ productionem & alvei mutationem rei feudali accedit: item ædificium in solo feudali extructum. 2. f. 4. 2. f. 8. §. 1. *Dn. Struv. in Syntagm. Juris Feudal. Exercit. 12. thes. 6.* Sicuti autem respectu accessionum nullâ opus est novâ investiturâ. arg. l. II. §. 7. ff. de Public. in rem act. l. 9. §. 4. ff. de Usufr. junct. 2. f. 1 & 2. f. 23. in fin. *Bocer. Class. 5. Disput. 19. thes. 47.* ita nec plura nec majora poterunt exigi servitia arg. l. fin. C. de Alluv. *Fink. Disput. feudal. 10. thes. 22.*

Ex^o. V. Dispositio rei feudalis est vel *Limitata*, vel *Illimitata*. 2. f. 8. *Godofred. Anton Disput. feudal. 9. thes. 4. lit. a.*

Ex^o. VI. *Limitata* dispositio est, quæ non ex solo Vasalli arbitrio dependet, sed Domini & aliorum consensum requirit. 2. f. 8. §. 1. 2. f. 39. pr. 2. f. 55. pr. eòq; pertinet feudi in extraneum translatio & alienatio, quæ aliàs Vasallo interdicta est. 2. f. 9. 2. f. 24. in fin. 2. f. 38. 2. f. 44. 2. f. 52. 2. f. 55. sive fiat mediante venditione. 1. f. 21. 2. f. 9. §. 1. 2. f. 42. 2. f. 52. in fin. 2. f. 55. pr. sive permutatione 2. f. 52. sive donatione 2. f. 9. §. 1. sive dotis datione & donatione propter nuptias 2. f. 9. §. 1. sive datione in solutum 2. f. 55. pr. junct. l. 4. C. de Evict. sive in Emphyteusin concessione 2. f. 9. §. 1. (ex quo textu obiter notandum, alienatione per libellum Jure feudali intelligi ipsam Emphyteusis constitutionem 2. f. 26. pr. 2. f. 39. pr. 2. f. 44. cujus rationem exponit *Franz. in comment. de Laudem. c. II. n. 13 & seqq.*) sive ultimæ voluntatis dispositione 1. f. 8. pr. 2. f. 9. §. 1. 2. f. 55. pr. sive oppignoratione 2. f. 8. in fin. 2. f. 55. pr. sive servitutis tam Realis quam Personalis impositione. 2. f. 8. pr. vers. rei autem. junct. l. fin. C. de Reb. alien. non alienand. (cum qua tamen non est confundenda commoditatis fructuum percipiendorum translatio, quæ Vasallo non interdicatur, *Fachin. l. 7. controuv. c. 79.*) sive Usucapio-

nis

nis & Præscriptionis permiffione. 2. f. 8. pr. 2. f. 55. pr. junct. l. 28. pr. ff. de V. S. Bocer. Class. 5. Diffut. 19. thef. 63. & feqq. Carpz. Diffut. feudal. 7. thef. 17. 21. 22. & feqq.

Exθ. VII. Licet autem alienatio sine confensu Domini & eorum, quorum interest facta, planè fit invalida & ipfo jure nulla: Illud tamen operatur, ut Vasallus feudo privetur, idque vel Domino feudi, vel agnatis aperiatur 2. f. 24. in fin. 2. f. 38. 2. f. 44. 2. f. 52. 2. f. 55. pr. quod quidem fit ipfo jure. 2. f. 24. in fin. ibi. à feudo cadente. 2. f. 38. ibi perdat totum. Bocer. Class. 5. Diffut. 20. thef. 137. quamvis sine præviâ Judicis fententiâ poffeffio occupari nequeat. 1. f. 21. Hartm. Pistor. l. 1. q. 35. n. 6. Finck. Diff. feud. 10. thef. 19.

Exθ. VIII. Illimitata dispositio est, quæ ex solo Vasalli arbitrio dependet; Estque vel Ordinaria vel Extraordinaria.

Exθ. IX. Ordinaria est, quæ permittitur ex generali & ordinariâ Juris feudalis constitutione: Estque vel Judicialis vel Extrajudicialis.

Exθ. X. Ad Judicialem dispositionem, quæ expeditur vel in judicio vel propter judicium, spectat actionum feudalium libera institutio. 2. f. 8. 2. f. 26. §. 5. vers. si Vasallus. 2. f. 43. Compromissio 2. f. 15. 2. f. 46. pr. & de feudo litigioso transactio 2. f. 26. §. 5. vers. si Vasallus 2. f. 43. Godofred. Anton. Diffut. feudal. 9. thef. 2. lit. e. f. 8.

Exθ. XI. Ad Extrajudicalem & quæ sine lite fit, dispositionem, referri poterit rei feudalis Melioratio & Ampliatio. 2. f. 8. §. 1. tam ratione substantiæ per ædificii in solo feudali extructionem. 2. f. 28. vers. si Vasallus, quàm ratione accidentium per servitutis acquisitionem d. l. 2. f. 8. pr. Rei feudalis locatio 2. f. 9. §. 1. sive fiat in modicum sive in longum tempus. Finkelth. Diffut. feudal. 9. thef. 15. neutro autem casu Dominus vel Agnati locationem continuare tenentur, si feudum ante tempus locationis finitum aperiatur arg. 2. f. 8. Suv. Exercit. feudal. 9. assert. 5. Rei feudalis cum heredibus divisio 2. f. 26. §. 4. vers. omnes. 2. f. 55. §. 2. Subinfeudatio seu feudi in feudum ulterior concessio 2. f. 3. §. 2. 2. f. 9. pr. 2. f. 26. §. 5. vers. beneficium 2. f. 34. §. 2. 2. f. 55. de cujus naturâ & affectionibus hâc vice pro dignitate agere non licet, de effectu id tantummodo monuisse sufficiat, per subinfeudationem æqvè in Subvasallum transferri Do-

ri Dominium utile, cuius intuitu penes subinfeudantem est Dominiū directum. 2. f. 55. §. 2. *vers. illud quoq;*, non quidem absolutum ac independens, sed analogicum & dependens de quō latius & accuratius *Frantz. in tractat. de Landem. c. 14. n. 34. & seqq. & Dn. Struv. in Syn- tagm. Juris feudal. Exercit. 12. thes. 10.* ac tandem refutatio seu feudi renunciatio & resignatio. 2. f. 14. 2. f. 38. 2. f. 44. 2. f. 49. tam propria, quæ fit Domino. 2. f. 9. 2. f. 14. 2. f. 44. etiam invito 2. f. 38. quàm impropria, quæ fit successuro in feudo 2. f. 26. §. 5. 2. f. 49. *Bocer. Class. 5. Disput. 19. thes. 51. 52. Godofred. Anton. Disput. feudal. 9. thes. 2. lit. c. d.*

Exθ. XII. Extraordinaria Illimitata Dispositio est, quæ regulariter non competit, sed venit vel ex feudi speciali conditione, vel ex singulari concessione. 2. f. 2. *in fin.* 2. f. 48. *Gail. 2. Observ. 154.*

THESES. VI.

Effectus Juris Vasalli Realis est vel Primarius vel Secundarius.

Exθ. I.

E*ffectus Primarius*, & qui per se ex Jure Vasalli producitur, est remedium pro jure feudali conservando competens, estque vel *Remedium agendi, vel excipiendi.* 2. f. 8. 2. f. 43.

Exθ. II. Remedium agendi est vel Actio vel simplex Imploratio.

Exθ. III. Simplex imploratio est vel cautionis de damno infecto Postulatio. 2. f. 8. 2. f. 23. *junct. l. 19. pr. de damn. infect.* vel *Novi operis nunciatio.* l. 1. §. 19. l. 5. *ff. de Nov. Oper. Nunciat. l. unic. §. 3. ff. de Remission. junct. 2. f. 8. Meier. in Colleg. Argentor. de Nov. Oper. nunc. thes. 4. n. 11.*

Exθ. IV. Actio est vel Petitoria vel Possessoria. *Dn. Tab. in Doctr. feud. Jchnogr. p. 2. n. 4.*

Exθ. V. Actio Petitoria est vel rei Vindicatio, vel Actio publiciana, vel actio Confessoria, vel Negatoria.

Exθ. VI. Rei Vindicatio est actio realis, ex vero utili Domi- nio pro feudi restitutione contra quemcunque possessorem etiam Dominum competens. 2. f. 8. 2. f. 26. §. 5. 2. f. 34. *pr. 2. f. 43. Vocatur*

catur communiter *Utilis Rei Vindicatio*, quod non intelligendum ratione *causæ efficientis remotæ*, quòd detur nempe tantum ex sententia & interpretatione, cum competat ex clara & expressa Juris feudalis dispositione 2. f. 8. pr. sed ratione *causæ efficientis proximæ*, quòd scilicet oriatur ex Dominio Utili *Hattys. in Analys. Juris feud. c. 10. p. III. 115.*

Exθ. VII. *Actio Publiciana* est actio realis, ex ficto Dominio pro rei feudalis alienæ restitutione competens *arg. §. 4. Instit. de act. l. fin. ff. de Public. in rem act. junct. 2. f. 1. 2. f. 87. & 96.* Et hanc actionem non minus contra Dominum quam Extraneum possessorem dari puto, licet contrarium communiter statuatur. *Schrad. de feud. p. 2. p. 9. sect. 9. n. 40.*

Exθ. VIII. *Actio Confessoria* est Vindicatio servitutis rei feudali debitæ, 2. f. 8. 2. f. 43. junct. l. 2. pr. §. 1. ff. si servit. vindic. *Carpz. Disput. feudal. 10. thes. 28.*

Exθ. IX. *Actio Negatoria* est actio realis, quâ libertas rei feudalis, contra servitutem attentatam defenditur 2. f. 8. *Svev. Exercit. feudal. 12. Assert. 2.*

Exθ. X. His actionibus realibus, à nonnullis annumeratur etiam actio finium regundorum, familiæ erciscundæ & communi dividundo. *Godofred. Anton. Disput. feudal. 13. thes. 3. lit. F. & G.* eas tamen pro realibus non agnosco, cum sint verè actiones personales l. 3. C. in quib. caus. cess. long. temp. presc. l. 1. §. 1. C. de Annal. Except. *Ludvv. ad §. 20. Instit. de act. Vinn. ad §. 2. Instit. de Act. n. 11.*

Exθ. XI. *Actio Possessoria* & quæ Vasallo ob acquisitam rei feudalis competit possessionem, est vel *Interdictum Retinendæ* vel *Recuperandæ possessionis.*

Exθ. XII. *Interdictum Retinendæ* est vel *Interdictum, Uti possidetis* 2. f. 8. in fin. 2. ff. 23. in fin. junct. l. 1. §. 1. & 8. l. fin. ff. uti possid. *Menoch. de retinend. poss. remed. 3. n. 81.* Vel *Interdictum de itinere actus priv. l. 1. pr. l. 3. §. 10. l. 5. §. 3. l. fin. ff. de Itiner. actus priv. junct. 2. f. 8.* *Godofred. Anton. Disput. feudal. 13. thes. 5. lit. C.*

Exθ. XIII. *Interdictum Recuperandæ* est vel *Interdictum Quod vi aut clam*, l. 11. §. 14. l. 12, ff. *Quod vi aut clam. junct. 2. f. 8.* Vel *Interdi-*

interdictum Unde vi. l. 1. §. 4. 9. ff. unde vi. §. 6. Instit. de Interdict. junct. 2. f. 8. 2. f. 82. Bocer. Class. 5. Disput. 19. thes. 41.

Exθ. XIV. Licet autem non ignorem, dari prætereà interdictum adipiscendæ possessionis §. 2. Instit. de Interdict. l. 2. §. 3. ff. eod. idque etiam attribui Vasallo. Schulz. in Synops. Juris feudal. c. 12. n. 13. Dn. Tab. Doctr. Jchnogr. Juris feudal. n. 4. Illud tamen ideò cum Dn. Struvio in Syntagm. Juris feudal. Exercitat. 16. thes. 3. omisso, quoniam interdictum adipiscendæ oritur vel ex Jure hereditario, vel ex jure pignoratitio, Habn. ad Wesenb. in parat. ff. de interdict. v. 4. Neutrum Jus Vasallo videtur applicari posse, cum ex thesi 2. constet, illud esse vel Dominium vel Possessionem. Hinc licet dissentientibus largiar dari Vasallo interdictum adipiscendæ, ii tamen è contrà & concedere necesse habent, hoc interdictum Vasallo competere, non quatenus est talis, sed qui est talis, & quatenus Vasallus est heres, vel Creditor pignoratitius: Unde hoc interdictum non potest oriri, nec ex Dominio Vasalli utili, nec ex possessione, sed ex alio Jure Vasallo acquisito.

Exθ. XV. Actio autem tam Petitoria, quam Possessoria instituitur coram judice competenti, qui est vel Dominus feudi. 2. f. 55. in fin. c. 6. x. de foro compet. vel Pares curiæ 1. f. 10. 2. f. 16. 2. f. 39. 55. in fin. 2. f. 82. vel Judex ordinarius. 2. f. 15. 2. f. 34. Dn. Struv. in Syntagm. Juris feudal. Exercitat. 16. thes. 4. & seqq.

Exθ. XVI. Remedium excipiendi seu exceptio Vasallo competens est vel Exceptio Domini. 2. f. 8. junct. l. 1. §. 4. ff. de superstitib. l. 156. ff. de R. J. vel libertatis. 2. f. 8. vel servitutis. 2. f. 8. vel Possessionis l. 1. §. 4. ff. uti possid. junct. 2. f. 8. vel spoli. arg. 2. f. 8. ibi de defensionem opponere. 2. f. 82.

Exθ. XVII. Effectus secundarius & consequens est patrimonii auctio. arg. l. 49. ff. de V. S. nec non immunitas à collectione. Cardin. Tusch. Pract. conclus. 29. lit. u. Heig. p. 1. q. 18. tum à satisfactione. 2. f. 8. junct. l. 15. pr. ff. qui satisd. cogant. Berlich. p. 1. conclus. 22. n. 33. quod tamen ad simultaneè investitum non est extendendum. Carpz. l. 2. Respons. 78. n. 14. & seqq.

THESES.

THESES. VII.

Contrarium Juris Vasalli Realis est Juris
feudalis extinctio, tam absoluta,
quam respectiva.

E. Th. I.

Absoluta est totalis & omnimoda feudi cassatio. Estq; vel *Me-*
diata vel *Immediata*.

Ex Th. II. *Immediata* fit vel rei feudalis interitu. 2. f. 23. junct. §.
3. *Instit. de Usufr.* vel præscriptione tam Domini utilis, quam di-
recti, vel morte Vasalli nullis relictis successoribus. 1. f. 13.

Ex Th. III. *Mediata* fit vel *facto Domini*, vel *Vasalli* vel *Tertii*.

Ex Th. IV. *Facto Domini* extinguitur feudum per liberam revoca-
tionem. 1. f. 1. §. *fin.* 2. f. 81.

Ex Th. V. *Facto Vasalli* extinguitur vel *voluntariè*, per refutatio-
nem in Dominum. 2. f. 9. 2. f. 14. 2. f. 38. 2. f. 44. vel *necessariò*, per
Clericatus susceptionem. 2. f. 21. 2. f. 26. 2. f. 109. & culpæ commis-
sionem. 1. f. 5. 2. f. 24. §. *fin.* 2. f. 50. 2. f. 55. *pr.*

Ex Th. VI. *Facto Tertii* extinguitur per evictionem. 2. f. 8. *pr.* 2. f. 25.

Ex Th. VII. *Respectiva* dicitur extinctio, quæ ita fit, ut quidem jus
feudale maneat, sed tantum respectu possidentis mutatur: Quod fit
vel per refutationem in successurum in feudo. 2. f. 26. §. 5. 2. f. 49. vel
investituræ renovandæ neglectioem. 2. f. 24. *pr.* 2. f. 40. *pr.* vel
per delicti in extraneum admissionem. 2. f. 24. *in fin.* 2. f. 37. *pr.* vel
per revocationem ob proximitatem. 2. f. 3. §. 2. 2. f. 26. §. 5. vel per
alios modos, de quibus latior apud Feudistas deprehenditur tra-

ctatio. Ex professo enim de his agere institutum meum mi-
nimè patitur. Esto ergò

F I N I S.

DUm cathedram scandis, dum, KAYNI, Ju-
ra Vasalli

Qualia sint, patrio more modoq; doces:
Nobi-

9A
TK
3170

Nobilitatis opus facis his conatibus. Euge!
Perge modò, ampla feres præmia pro meritis!

D. NICOLAUS Creusel / Facultat. Jurid.
Assesf. & Acad. h. t. R E C T O R.

Ad Nobilisf. Dn. Respondentem:

Qua calamo & linguâ propugnâs, Jura Vasalli,
Olim propugna fortiter & gladiô.
Nobilis hâc ratione clues fidusq; Vasallus,
Hâc ratione datur nobilitate frui.

P R Æ S E S.

Ad Nobilisf. Dn. Respondentem:

Sunt Genus & Proavi, sunt fortia facta Parentum,
Unde Tuum, KAYNI, nobile nomen habes.
Sed Tu Majorem tentas æquare laborem,
Nec factò alterius Nobilis esse cupis.
Scilicet hunc dignum puto Nobilitatis Avitæ,
Qui poterat Proavos nobilitare suos.

D. ROMANUS Zeller.

Das heisset wol studiert / wenn man das Ziel bedenckt /
Und seinen muntern Geist auf solche Sachen lenckt /
Dienicht vergebens sind / dadurch dem Vaterlande /
Dem Fürsten sonderlich / und seinem eignen Stande
Der größte Nutz entspringt. Drum bleibstu auch dabey /
Und siehst / was dermahleinst der Welt von Nöthen sey.
Ein ander sey bemüht auf ungewisse Grillen /
Dich soll dein wahrer Fleiß mit wahrem Ruhm erfüllen.

Seinem höchstwerthen Freunde schreibe
dieses wenige auß schuldiger
Pflichte

Hieronymus von Dießkau.

✂(o)✂

1077 MC.

RE
D
DU
CLI
ADM
NUM
MAR
INFE
MITI
V



SERENISSIMO
IMO
DOMINO
RITIO
Æ, JULIÆ,
M, POSTULATO
ISCOPATUS
VIO THURINGIÆ,
ON SUPERIORIS ET
ALI DIGNITATE CO-
TI MARCÆ ET RA-
RAVENSTEIN, ET
IRINGIACÆ,

CLEMEN-
uam!

